Fragmentarium

Arcana Virtute poteſt, Cæliq; Deiq;.
Ergo quæ tu hodie felicia iura mariti
Accipis, & flos ille tuus Victoria caſtæ
Ille pudicitiæ ſecretis natus in hortis
In dulces fructus frondes denſabit odoras
Nata hodie es generi humano, aut de funere ſurgis
Et tu florem illum fortunatiſsime Coniux
Vngue leges primo, tu primus et vltimus huius
Germinis intacti uenies Vbalde colonus,
Vt te hodie Venus alma hominum ſuprema voluptas
Fortunat, licet ipse tuos ab origine mundi
Enumeres atauos, et primus in ordine longo
Iuppiter auctorem generis se iactet ab Ida
Cum populis passim palantibus, eq; latêbris
Luminis in dias oras et denſa coëgit
Mænia, monſtrauitq; humanæ commoda Vitæ,
Et Dodonæa leniuit ab arbore duram
Esca famem veteris quæ nunc ſtat gratia facti
Illa etiam celebris, sunt hinc inſignia gentis
Robora prisca tuæ; licet et tibi seruiat Vmber.

License: public_domain – Paris, Bibliothèque nationale de France, Latin 11411, 134v – Guidobaldi et Victoriae Urbini ducum epithalamium (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5xbl/3425/35974)